



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

Horrion, Johann

Paderbornæ, 1616

Capvt V. Illustrissimum Principem in Academia instituenda
Ecclesiasticorum, & Religiosorum hominum commodum, & dignitatem
spectasse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14243

Comes, tantæ rei grauiſſimus teſtis, tuque ipſe, Princeps Illuſtriſſime, adhibito tabellione, & idoneis teſtibus, rem publicis tabulis mandari juſſiſti. Quæ res documento ſit omnibus, ne aduerſus magiſtratus legitimos, & Principes temerariam plebem commoueant: ne alieni ſanguinis ſint appetentes: vt ſuo dolori, & inſolenti vindictæ cupiditati frenos iniſciant: vt homines ſe meminerint, inter homines verſari. Sed nimirum, Princeps Sapientiſſime, graue tibi & luſtuofum viſum eſt, hoc, eſt tam triſtibus, & cruentis exemplis, tardum nimis diſcendi genus. Mauiſ jam inde à prima pueritia ſic informari ciues tuos, vt Deo, Rationi, Magiſtratibus, Legibus, Parentibus morigerari, comprimere appetitiones, domare iracundiam, omnibus ſe virtutibus & bonis artibus ad Reip. ſalutem, commoditatemque ex ornare conſueſcant.

C A P V T V.

Illuſtriſſimum Principem, in Academia inſtituenda, Eccleſiaſticorum, & Religioſorum hominum commodum & dignitatem ſpectaſſe.

PRÆCIPVVM verò tibi, Princeps Illuſtriſſime, ſtudium ſemper fuit, ne ea pars gregis CHRISTI, quæ eximiam quandam vitæ ſanctimoniam proſitetur, nullis, quæ quidem cum ſuo more, & inſtituto cōgruerēt, cōmodis, vel ornamentis careret. Quoniã verò omnes Eccleſiaſtici ordinis viri, in eo præcipuam quan-

quandam sunt gloriam adepti diuinitus, quòd diuinam illam mensam, in qua agnus DEI qui tollit peccatis mundi, situs est, circumstant, atque, vt alicubi loquitur D. Gregorius Nazianzenus, appropinquant ad appropinquantem DEVM, propterea magnis largitionibus, & impensis eos ad dignitatem tanti sacramenti complectendam animo, & digna pietate colendam excitare studuisti. Itaque constituto annuo vectigali in primis lauto, & magnifico, solennem eius pompam, qua post Pentecosten, quotannis instituitur, celebriorem augustioremque reddidisti. Neque eo contentus, nullum pratermisisti in tota tua diocesi cœnobium, quod non perpetuis vectigalibus auxeris, eo pacto, vt quoniam à plerisque hac tempestate non, quanti par est, fieret illa victima sancta, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, ipsis curæ esset certis eam, stasque honoribus profsequi. Nullus porò honor videtur tantum sacramentum perinde decere, atque ipsorum Ecclesiasticorum, qui eius administrationi sunt consecrati, morum integritas, atque scientia. Si enim rectè & ordine fit in Ecclesia, quòd sine lumine nunquam Eucharistia deferatur, vt nempe profiteamur in ea verè esse presentem eum, qui à sapiente dicitur, candor lucis æternæ, vt ait Honorius III. quantò magis elaborandum est, ne qui eam conficiunt, aut certè conficientibus ministrant Sapia, de qua ibi est sermo, vacent? Nam, vt ibidem legimus, **NEMINEM DILIGIT DEVS, nisi eum qui cum Sapia inhabitat.** Est enim pretiosior sole. Qui locus aliquantò est in Græco illustrior, vbi legimus τὸν σοφίᾳ συνοικεῖντα, id est, qui cum sapientia, velut coniuge, habitat. Licet autem nemo iustus, quamuis litterarum rudis, sapientiæ sit expertus, docet tamen Apostolus, quis sit ille,

[Orat. ad
150. epi.
scop.]

[Sapient.
7. v. 26.
[Can Sa.
nè cum
olim de
ceb. Miss.
[Ibid.
[ver. 28.]

ille, qui ardentiore quodam amore diligit Sapien-
 tiam, nempe: Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Do-
 mini sunt, quomodo placeat Deo. Quantum enim [1. Cor. c.
7. v. 32.]
 ceteri otij in obsequio feminae, in educatione liberorum,
 in procuratione rei familiaris consumunt, tantum ei sup-
 peditat ad seruiendum præcepto Apostoli: Attende tibi 1. Tim. 4.
 ipsi, & doctrinae. Quemadmodum enim lumen & in-
 se purum quiddam atque præclarum est, & natura sua factum
 ad alia quoque illustranda: ita hominem Ecclesiasticum, quæ
 CHRISTVS Dominus lucem mundi non dubitauit ap- Matth. 5.
 pellare, decet non modo omni erroris, aut flagitii nota ca-
 rere, sed etiam vitæ innocentis exemplis, & præstantis sci-
 entia luce cæteris omnibus viam ad Sapien-
 tiam ostendere. Igitur qui sic comparatus est, is demum est, qui sapientiam
 sole longè clariorem, quasi quibusdam sempiternis nuptiis
 desponsam, atque deuinctam habet. Eiusmodi si omnes
 essent, qui altaria Christianæ Ecclesiæ circumstant, eiusque
 opibus aluntur, quis superiorum temporum felicitatem
 desideraret? Quid enim tot homines tenebrarum, & erro-
 rum non discuterent, si cum æternæ sapientia luce perinde
 atque sponsa essent copulati? quis talibus ducibus non omni
 celeritate ad veritatis arcem conuolaret? quis tam abhor-
 rens ab omni studio virtutis, qui non se ipse retexeret? Ta-
 lium hominum copiam vt haberent maiores nostri, sedulo
 curabant, vt qui ad tam excellens degendæ vitæ genus à
 DEO vocarentur, ij omnibus, quæ cum eo non discrepa-
 rent, liberalibus artibus expolirentur. Audi enim, Princeps
 Illustrissime, quid præcipiat Concilium Aquisgranense, sub
 Ludouico Pio Cæsare, in quo Canonicis viuendi regula è
 sanctorum Patrum monumentis est proposita, quæ regula
 cum in alijs Ecclesijs Germaniæ aliquot sæcula, tum in Pa-
 S derbor-

[Gobelinus
 etat.
 6.
 cap. 64.

derbornensiumque ad Bernardum IV. eius nominis Antistitem, id est, usque ad annum M. CCXXVIII. viguit. In eadem igitur cap. CXXIII. sic habetur: Religiosissime ordinem canonicum seruent, & Prælati suis, ac Magistris honorem debitum humiliter impendant: ut horis canonicis diuinum officium deuotissime expleant: intus forisque non solum habitu, & actu, sed etiam ipso incessu irreprehensibiles existant: ut non otio vacent, non vaniloquio inserviant, non detractionibus, & cæteris vitiorum illecebris incumbant, sed potius aut orationi, aut lectioni, aut quibuslibet Ecclesiæ, aut certe propriis utilitatibus vacent, aut etiam doctrinis fanis, & diuersarum artium erudiantur disciplinis, ita videlicet, ut nullus in congregatione inutilis, aut otiosus existens stipendia Ecclesiæ in officiosè accipiat: ut quotidie ad collationem veniant, ubi & hanc institutionem, & aliarum scripturarum sanctarum lectiones perlegant. De cœnobiis verò, quis ignorat ea fuisse, quod de Corbeia nostra nominatim legimus, diuersoria, & habitacula doctorum, & piorum virorum? qui, ut loquitur D. Augustinus, contemptis ac desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam, sanctissimamque congregati, simul atatem agebant, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia

[Lib. 1. de
 morib.
 Ecc]

dentia liuidi, sed modesti, verecundi, pacati concordissimam vitam, & intentissimam in DEVM, gratissimum ipsi munus offerebāt, à quo ista posse meruerant. At nostra tempestate, postquam Ecclesiasticorum hominum ad alia traductis animis, illæ laudabiles Pietatis, & Doctrinæ exercitationes obseuerunt, nihil est quod miremur, tantam vitiorum colluuiem in Ecclesia DEI exitisse. Vbi nūc veteres illi Religionis vindices, & factores? vbi sacri oratores? Vbi experientes animorum medici? Vbi diuinarum litterarum periti? Vbi illi caelesti quadam caritate præditi antistites? Sed quid hæc sublimiora commemoro? quis non totum se fluxis commodis? quis non nefariis voluptatibus dedit? Quid causæ esse existimamus? num eam, quam imperite, & stulte blaterant non minus perfectæ sanctitatis, quam salutaris doctrinæ aduersarij Prædicantes? Clamant illi obseruari non posse celibatum: plus imponi Ecclesiasticis viris, quàm eorum humeri ferre possint. Non est ea profectò, non est. Si enim D. Augustini temporibus, quando, vt ipse narrat, plerumq; ad continentia clericorum sarcinam subeundam capiebantur inuitam susceptam vsque ad debitum finem, Domino adiuuante, perducebant; cur desperent, qui sponte hoc vitæ genus delegerunt, idem sibi proelue fore, si eandem, quam viri illi sancti, viam insistant? Da mihi hominem à prima pueritia pietatis officiis, & eruditione omni excultum, cui dulce sit inhærere contemplationi veritatis, eamque cum in rerum naturalium scientia, tum in diuiniore, & de cælo delapsa, omnibus vestigiis indaget, ac deniq; eam cognitionem, nō ad quæstum, auramue popularē, sed ad vnius DEI Immortalis inflammandum cum in suo, tum in ceterorum mortalium pectoribus amorem conferat: nego huic homini o-

lib. 2. de
adult. cō-
iugiis c.
20

[Lib. 2. de
adult. cō-
iugiis c.
20]

ob. 2. de
diuini
[20]

tium futurum ad ea cogitanda, sine quibus hi mortali-
 um infelicissimi se vivere posse diffidunt. Iam verò, quo-
 niam aliud mortales in nostrorum temporum moribus
 intuentur, nimirum supra fidem eis videntur, quæ de
 maiorum nostrorum incredibili sanctitate memorantur.
 Postquam verò hæc exempla desierunt, religionis quo-
 que ipsius auctoritas, quæ plurimum apud rudes animas
 illis sustinebatur, in dubium vocari, aut certè non tanti
 æstimari coepta est. Ideò vir doctissimus, atque optimè
 de re Catholica meritis Fredericus Staphylus Osnabur-
 gensis, negat, præter rectam iuventutis institutionem,
 aliam susperesse, exortas de religione lites sedandi, viam.
 Adiungam eius verba, quòd die natali primæ in VVest-
 phalia Academia, hominis VVestphali, tanta gloria in A-
 eademia Ingolstadiensi nostro sæculo versati non memi-
 nisse, nefas propemodum esse videatur. Is igitur in
 epistola, qua Marci Anachoretæ aureos libellos, e Græco
 ab se in Latinum conuersos, inscribit, & dedicat Petro Ca-
 nisis Societatis Iesv celebri Theologo, postquam est que-
 stus cæteris in artibus non nisi peritorum iudicia requiri,
 in rebus diuinis indoctissimum quemque, quod commo-
 dum sit, sequi: ad extremum hæc addit. Vnicum, fuit
 olim, & satis efficax his malis remedium, auctori-
 tas conciliorum: quæ quondam pietate sacerdo-
 tum apud omnes sacrosancta habebatur, iam pro-
 pter peccata nostra, labefacta est, bellisque in dies
 magis vilescit, peneque deletur apud vniuersos.
 Sola spes ferme est in puerilibus scholis, vt semi-
 narium Ecclesiæ, quod in senibus iam emaruit,
 in pueris resuscitetur. Hoc adeo consilio, Princeps Il-
 lustrissi-

lustrissime, nō modò jam olim pueriles scholas, verùm etiam hanc Academiam tuis opibus condidisti, quam iccirco ijs solis disciplinis consecrari voluisti, quæ Canonicis institutis Ecclesiastico homini sunt permixtæ. Notum enim est ijs juris civilis, & Medicinæ tractationem interdici. Fuit scilicet tibi cura ea studia excitare, ad quæ colenda, refrigerante indies cælesti caritate, omnibusque quæstum, & popularem auram spectantibus, pauci sponte appellunt animum.

C A P V T VI.

Proprie dictam Academiam sine Iurisprudentia esse posse.

VERVM, Illustrissime Princeps, hic ego, quod pacesiat tua, cogor nonnullis rerum imperitis respondere, qui cum audiunt, necdum tradi in Academia tua Iurisprudentiam, opinantur aliquid ei ad Vniuersitatis nomen deesse. Eos ego non meis sed hominum iuris peritorum verbis hunc errorem dedocebo. Igitur Iacobus Middendorpius VVestphalus Theologiae, & Iuris scientia clarus, libro, quem de Academiis edidit, cum nomina inuestigaret, quibus recte hæc nostra publica gymnasia afficiantur, principio rectè eis docet Academiæ nomen tribui, ac deinde ingressus sermonem de nomine Vniuersitatis: (Recentiorum, inquit, quidam Scholas publicas, quod auctoritate publica, siue quod idem fere est, publicè instituuntur, quidam Vniuersitates appellare malunt. Non tam quod omnes liberales artes in eis doceantur (multa enim ad certarum tantum disciplinarum professionem eriguntur) sed